

revolvitur entis et non entis. Et mox:²⁹ *Antea vero concordēs fuimus, si quid tale apparuerit, opinabile ipsum et non scibile oportere dici. Et mox rursus:*³⁰ *Cernentes ergo multa pulchra, ipsum vero pulchrum non cernentes neque potentes alterum ad id ducentem sequi, et multa*
 5 *iusta, ipsum autem iustum, nequaquam et omnia hoc modo opinari dicemus omnia, cognoscere vero ea quae opinantur, nullum.*

Et quoniam hic multorum mentio fit significatque haec singularia, generabilia, advertendum est opinionem circa ea versari ex Platonis sententia, ex his autem collectum universale omnes
 10 Peripatetici et sentiunt et docent scientiae subiectum esse putantque quidam recentiores, cum Aristoteles universalια scientiae subiciat, de ideis Socraticis intellexisse nullumque inter Socratem et Aristotelem hac in re discrimen esse scripserunt.

Scientiae subiectum quid [in margine]

15 Sed longissimo intervallo aberrant a Scopo, nam ex his locis, qualia sint Socratica entia contrapōsita, multis ex proxime allatis manifesto constat esse. Τὸ παντελῶς ὄν, τὸ εἰλικρινῶς ὄν, *prorsus ens et sincere ens*, et quod etiam appellat:³¹ *Quae semper secundum eadem eodem modo sunt entia*, qua forma locutionis Aristoteles
 20 quoque non raro usus est, cum de essentiis separatis loqueretur, sed universale Aristotelicum opere intellectus de singularibus collectum, docet ipse primo De anima: ἢ οὐδὴν ἢ ὕστερον^{vi}, *vel nihil vel posterius esse.*

²⁹ προωμολογήσαμεν δέ γε, εἴ τι τοιοῦτον φανεῖν, δοξαστὸν αὐτὸ, ἀλλ' οὐ γνωστὸν δεῖν λέγεσθαι. [PLATO, R. 479.d.7 – 8]

³⁰ τοὺς ἄρα πολλὰ καλὰ θεωμένους, αὐτὸ δὲ τὸ καλὸν μὴ ὀρῶντας μὴδ' ἄλλω [corr. ex ἄλλο] ἐπ' αὐτὸ [corr. ex αὐτῶ] ἄγοντι δυναμένους ἐπεσθαι, καὶ πολλὰ δίκαια, αὐτὸ δὲ τὸ δίκαιον μὴ, καὶ πάντα οὕτω, δοξάζειν φήσομεν ἅπαντα, γινώσκειν δὲ ὧν δοξάζουσιν οὐδέν. [PLATO, R. 479.e.1 – 5]

³¹ καὶ [τὰ] ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ ὡσαύτως ὄντα; [PLATO, R. 479.e.7 – 8]

^{vi} Ὑsp. ἦτοι οὐθὲν ἐστὶν ἢ ὕστερον. [ARIST. de An. 402b.7 – 8]